



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Opinio Caietani, & Canariensis. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

intelligitur paternitas, quam persona patris, atqui paternitas nequit intelligi sine filiatione, quia simul sunt cognatione: ergo filiatione intelligitur ante personam patris, quomodo ergo filiatione resultat ex generatione, quæ provenit à patre, siquidem ante personam patris intelligitur?

Hæc omnia argumenta eodem spectare videntur, & circa solam personam patris difficultatem habere videlicet qui fieri possit, ut persona patris, quæ debet prius intelligi constituta, quæ generet, constitui possit paternitate, quæ ex generatione resultat in alio vero personis nulla prius est difficultas; nam generatio passiva præcedit personam filij, & filiationem in facto esse; tum etiam spiratio activa iam supponit patrem & filium constitutos aliis relationibus; non enim constituuntur relatione spiratoris: denique processu passiva præcedit personam Spiritus sancti, & relationem illius, sicut de generatione passiva diximus. Entendunt igitur nobis est, nodum huius difficultatis dissolvere, recensitis tamen prius aliorum opinionibus qui cum rem hæc explicare conati sunt, nescio an aliquid melius reddiderunt. Pro explicatione vero huius quæst. Scholastici, qui dicunt, personas constitui relationibus disputant id, quod in titulo proposuimus, Quoniam pacto relatio constituat personam.

CAPVT II.

Opinio Caietani, & Canariensis.

Caiet. solitaria subtilitate, in solut. huius quæst. plus ceteris videtur laborasse, nescio an ita fructuose. Docet autem in art. 4. huius quæst. ad 2. dubium, bifariam sumi paternitatem: de hac enim tota videtur difficultas, vno modo vt conceptam sub expresso conceptu paternitatis, non vt exercet munus relationis: & hoc pacto inquit constituitur personam patris in Deo, antequam intelligatur generare, & habere filium; quia relatio vt concepta, ex sent. Caiet. non postulat terminum, altero modo consideratur vt exercita, (inquit ille) hoc est, vt iam exercens officium referendi, sic autem postulat terminum actum, & in termino filiationem, hoc modo non potest constituere personam patris, vt plane cōvincunt argumenta Scoti, illud præsertim, quia paternitas & filiatione hoc pacto sunt simul post originem, persona autem patris præcedere debet originem. Sic interpretatur S. Thom. art. 4. huius q. cum ait relatione, vt est forma hypostatica, constitui personam, & sic prius considerari quam originem & personam productam, non autem secundum propriam rationem relationis, quia secundum propriam rationem relationis non potest intelligi, priusquam origo, tamen si hac ratione distinguatur vnam personam ab alia. Neque oppositum docuit S. Tho. q. 4. art. 3. (inquit Caiet.) cum dixit, non esse prioritatem etiam rationis inter personas, loquitur enim de ipsis, vt actu iam referantur sub conceptu proprio relationis exercitæ: quare nonnulli perperam arguunt doctorem S. contradictionis.

Canari. vero à sensu Caiet. non longe abest, li-
cet se Duran. sentent. sequi profiteatur, ait enim, duo spectare ad rationem & essentiam relationis, vnum est esse formam & proprietatem relatiui sic ut albedo est forma albi, ecce tibi relationem conceptam Caiet. alterum est referre vnum ad alterum: ecce relationem exercentem munus relationis. Affert igitur, personam diuinam constitui relatione,

secundum quod est forma relatiui: non tamen secundum quod refert ad aliud: & in hunc sensum Canar. intelligit S. Tho. eadem omnino proport. qua Caiet. intellexit. Hinc colligit, vere dici personas diuinas constitui relationibus, cum enim constituantur relationibus priori illo modo consideratis, qui pertinet ad essentiam ipsius relationis; efficitur, vere constitui relationibus imo addi posse particulam illam, *inquantum*, vel *secundum rationem relationis*, si denotet relationem priori modo intellectam. Nam si accipiat quis relationem posteriori modo, & addat particulam, *inquantum* debet eam usurpare, vt notā quam dicunt specificationis: & sensus erit, relatio, inquantum relatio, constituit, hoc est, id quod reuera est relatio, constituit.

Huius sententiæ Caiet. meminit Ferrar. 4. contra gentes c. 26. versic. sed hæc interpretatio: quam licet subtilem esse dicat, affirmat tamen nec veram esse, nec secundum mentem S. Tho. Eam igitur simul cum opinione Canar. eiusdem rationib. impugnabimus.

Prima ratio Ferrar. est. Id quod alicui conuenit secundum rationem formalem, conuenit illi, secundum quod tale est: ex sent. autem Caiet. constituitur hypostasin conuenit relationi secundum expressam & formalem rationem relationis: ergo conuenit illi, inquantum relatio est: at oppositum dicit S. Tho. art. 4. huius quæst. ait enim; relatio non constituit personam, secundum quod relatio est: ergo aduersatur Caiet. Doctori S. quem se sequi putat. Dices pro Caiet. relatio constituit secundum rationem relationis priori modo considerata, prout est concepta; non autem posteriori modo: vt exercet officium relationis. Sed contra hoc est, quod ipse Caiet. cōcedit, relatione priori illo modo continere expressam & formalem rationem relationis.

Secundo arguit Ferrar. hoc modo, Nihil aliud est, formam exercere actum suum, quam dare esse subiecto, cui inest, in genere causæ formalis: quid enim aliud exercere potest? Si calbedo exercet actum formæ, cum facit subiectum album, ergo tunc intelligitur relatio exercere actum suum, quādo tribuit subiecto esse relati ad aliud & nunc subiectum refert ad aliud; nullam enim aliam actum habet, quare si relatio aliqua sub expresso conceptu relationis concipitur in aliquo subiecto, intelligitur iam, vt referens subiectum ad aliud, ergo vt exercens officium relationis: frustra igitur Caiet. & Canar. distinguunt duas acceptiones relationis, cum idem omnino sit esse formam relati inhaerentem subiecto, & ipsum ad aliud referre; sicut idem est esse formam albi, & dare esse albi.

Tertio impugnari potest opinio Caiet. & Canar. quia aut relatio priori modo accepta est ad se, aut ad aliud: si ad se habet modum absoluti, & non habet expressam, atque formalem rationem relationis, quæ est esse ad aliud, cuius oppositum ipsi docent: & asserere necessario debent, vt defendat, eam esse veram acceptionem relationis, & personam formaliter relatione constitui: aut relatio eo modo est ad aliud, & ita necesse est, vt habeat terminum, quem respiciat: ergo inhaerens subiecto ipsum refert ad aliud. Quare redit difficultas, quæ ex Scoto initio proposuimus. Porro autem necessarium esse, relationem etiam vt conceptam habere terminum, patet, quia expressa, & formalis ratio relationis, sub qua concipitur, non potest intelligi aut definiri, nisi ad aliud: est ergo Caiet. & Canar. distinctio commentitia.